Adams (Thos)

DISPUTATIO CHIRURGICA

INAUGURALIS,

DE

# HYDROCELE.





# DISPUTATIO CHIRURGICA
INAUGURALIS,

DE

# HYDROCELE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

*ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;*

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

*IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS ADAMS,

*ANGLO-BRITANNUS,*

COLLEG. REG. CHIRURG. LOND. SOCIUS.




---

"SCIRE POTESTATES HERBARUM, USUMQUE MEDENDI,
"MALUIT." VIRG. ÆNEID.

---

AD DIEM XXIV. JULII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

GLASGUÆ:

TYPIS JACOBI MUNDELL, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,

1800.

PATRI OPTIMO,

JOANNI ADAMS,

ARMIGERO;

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS,

EA QUA DECET PIETATE

MOTUS,

D. D. D.QUE.

NECNON,

NECNON,

VIRO SPECTATISSIMO,

JACOBO ADAMS,

PATRUO;

ARTEM APOLLINAREM

PROSPERRIME

FACIENTI;

HOC,

GRATI ANIMI

ET

OBSERVANTIÆ,

SIGNUM LITERIS,

CONSIGNAT

*THOMAS ADAMS.*

To

Dr. Baumgartner, with
the very best wishes of
his sincere friend the
Author

# DISPUTATIO CHIRURGICA
## INAUGURALIS,
DE
# HYDROCELE.

## PROŒMIUM.

§ I. QUUM iis, qui summos medicinæ honores petunt, mos sit, rem quampiam medicam aut chirurgicam scribendo persequi, quam in apertum proferant, ut solenniter impugnetur, atque in contrarias disputetur partes; nobis consilium est, de *hydrocele tunicæ vaginalis* testiculi, pauca scribere.

II. Sed, de hac re, non nobis studium est, nova atque fortasse nihil profutura dicere; sed potiùs

ea ad compendium conferre, quæ aut ipsi experientiâ cognovimus, aut ex scriptis didicimus aliorum, qui ingenio et scientiâ clari sunt atque nobiles.

## SIGNA.

III. TUMOR, quem humor in *vaginali* testiculi *tunica* cumulatus efficit, primùm in ima parte scroti percipitur, dein paulatim ascendit, atque tenuior fit.

IV. Interea molestia, quam affert tumor, adeò levis est, ut ab ipso ægro negligatur, donec, præ mole et gravitate, dolorem in lumbis moveat; ob consensum, qui, per nervos, his intercedit cum vasis *spermaticis*, quæ tumefactus testiculus assiduè tendit.

V. Increscente tumore, cutis cùm scroti tum vicinarum partium usque eò distenditur, ut non solùm rugæ illius sacci prorsùs evanescant, verùm etiam membrum genitale ferè omninò occulatur.

VI. Initio autem, tumor non pyramidatus est, sed aliquantùm ovatus, aut subrotundus. Licèt in tunica unius duntaxat testiculi contineatur humor, tamen, haud dubiè, in tunicis nonnunquam utrorumque, eodem tempore.

VII. Quoties hoc accidit, tumor bina pyra refert, quorum crassiores extremitates deorsum spectant.

VIII. Testiculus, quoniam *musculo cremasteri* adnectitur, in posteriore tumoris parte facilè percipi potest, nisi ubi tumor admodum magnus est. Enimvero, etiam tum sentitur duritia, itemque dolor, quoties, prope testem ipsum, tumor comprimitur.

IX. Præterea, plerumque tumor, extremis digitis leviter percussus, sensum, qualem fluctuatus humor, edit; atque, modò recens sit, perlucet. Veterascente autem hoc malo, contentus *tunicâ vaginali* humor luci impervius fit, simul-

que ipsa tunica, præ nimia distentione, contra consuetudinem crassescit; et sic dubitationem, de morbo, movent.

x. De signis morbi, plura dicere, utì mihi videtur, non opus est; eòque minùs, quòd numero pauca sunt, neque requirunt, ut fusè describantur.

xi. Cùm ita sit, nunc quàm paucissimis dicemus, quibus notis hydrocele dignoscatur ab aliis morbis, qui eam quibusdam simulant.

## DIAGNOSIS.

XII. NIL pluris interest medici, qui cùm suæ famæ, tum ægri saluti, consulit, quàm accuratè distinguere morbum, ad quem levandum curandumque arcessitur. Nescit enim ægrotanti opitulari is, qui ignorat, quo morbo laboret; eòque magis, si morbus eâ naturâ sit, ut sit manu curandus.

XIII. Morbi, qui plurima sibi, cum hydrocele, communia habent, sunt *scroti aqua intercus*, *hydrocele funiculi spermatici*, *duritia testiculi*, *hæmatocele*, et *hernia*.

XIV. *AQUA INTERCUS SCROTI*,—contrà atque hydrocele, non primarius morbus est, sed ex hydrope universi corporis oritur.

XV. Quinetiam, scrotum, quod aquâ intercute

tumet, specialem in modum splendescit; atque ejus rugæ maturiùs, quàm in hydrocele, evanescunt.

XVI. Habitus, porrò, corporis, atque sensus ipsius ægri, adeò in his morbis diversi sunt, ut nemo medicorum chirurgorumve, nisi imperitissimus, unum morbum, pro altero, habere possit.

XVII. *Hydrocele funiculi spermatici*,—à tumore incipit supra testiculum; qui, progrediente morbo, ad imum scrotum detruditur, ubi ab explorante chirurgo semper tactu percipitur: dum *hydrocele tunicæ vaginalis* incipit à tumore infra testiculum; qui sentitur, in posteriore et superiore parte tumoris.

XVIII. *Duritia testiculi*,—modò nihildum humoris effusum sit, pro hydrocele non potest haberi. Magna enim duritia, comparativum tumoris pondus, dolores tendentes, atque inæqua-

lis testiculi facies, hoc malum à hydrocele satis distinguunt.

XIX. Verùm confitendum tamen, postquam effusus humor est, difficilius esse discernere, utrùm duritiâ testiculi æger laboret, an hydrocele. Quoties hoc acciderit, considerandum est, an tumor primarium, necne, malum sit, atque, ab omni, necne, parte, superficiei æqualis. Namque, cùm tumor ex duritia testiculi, contrà atque hydrocele, primarium malum sit, atque aliquandiu antè increscat, quàm effunditur humor; præ inflammatione, quæ supervenit, testiculus, hìc illic, *tunicæ vaginali* adhæret. Quo fit, ut hæc tunica, non ab omni æqualiter parte, distendatur, ideoque inæqualis sit tumor.

XX. *Hæmatocelen*,—à hydrocele distinguere, haud difficile est. Ille enim tumor aliquanto gravior, pro magnitudine, est: digito unius manûs appulsus, digito simul admoto alterius sensum, quem solet fluctuatus humor, non movet:

citiùs multo increscit, quàm hydrocele; quippe cùm plerumque ex testiculo ejusve tunicis aliquà læsis oriatur.

XXI. *Herniam*—à hydrocele dignoscere, utì difficillimum est, ita utilissimum. Distingui tamen possunt hæc mala, attento animo advertendo, quæ signa sese ostendant.

XXII. 1. Urgente herniâ, *funiculus spermaticus* vix tactu manifestè percipi potest. Tumor in inguine incipit, et minùs tensus est, quàm in hydrocele: et, etiamsi in sacco interdum colligatur humor, tamen hic, digito impulsus, vel nullum sensum, qualem solet fluctuatus humor, movet, vel saltem obscurissimum.

2. Quinetiam, tumor, quem hernia efficit, pro corporis positura variat figuram et magnitudinem. Strangulata præterea hernia non solùm gravissimum dolorem facit, verùm intentum quoque abdomen, singultum, vomitum, alvum astrictam.

3. Huc accedat, quòd hernia plerumque subitò incipit, post vehementes nisus musculorum, utì in magnis ponderibus attollendis, vel violentam abdominis compressionem.

XXIII. Memoratis notis, quibus hydrocele distinguatur ab aliis morbis, qui eam quibusdam simulant, proximum est, ut, unde oriatur, dein qua ratione curetur, quàm paucissimis dicamus.

## CAUSÆ.

XXIV. In hujusmodi disputatiuncula, non mihi consilium est, causas diversarum hydroceles specierum, quas scriptis prosecuti sunt auctores, fusè describere. Cùm ita sit, earum tantùm mentionem faciam, quæ hydrocelen *tunicæ vaginalis* testiculi concitare putantur.

XXV. Ne *tunicæ albugineæ* accrescat exterior lamina *tunicæ vaginalis*, humor tenuissimus ex osculis patentium arteriarum inter eas exhalatur. Hic verò humor, quamdiu firmâ valetudine fruuntur hæ partes, justo tempore resorbetur, neque ullus tumor oritur.

XXVI. Quòd si quibuslibet causis plus humoris ex patulis arteriis exhalatur, quàm vasa bibula resorbere possunt, vel solitam exhalati humoris copiam resorbere nequeunt vasa bibula,

humor inter tunicas stagnat, atque tumor oritur; quem *hydrocelen tunicæ vaginalis* nominant auctores. De utroque igitur causarum genere, quàm paucissimis dicendum est.

XXVII. *GENUS PRIMUM.*—Quæcunque cor et arterias nimìs stimulant, eorumque motus concitant, ea haud dubiè faciant, ut in *tunicam vaginalem*, pariter ac in alia cava, plus solito humoris exhaletur ex patentibus arteriis; atque, modò vasa bibula quomodocunque sic debilitata sint, aut impervia facta, ut exhalatum humorem, pro rata portione, resorbere nequeant, hydrocele, quam persequimur, oriatur. Cùm ita sit, haud mirum est, hunc morbum nonnunquam poculorum intemperantiæ supervenire *.

XXVIII. Longè autem frequentissimæ causæ hujus morbi sunt, testiculi ipsi extrinsecùs læsi,

---

* Vid. ALEXAND. MONRON. Prim. *Works*, edit. EDIN. ann. M,DD,LXXXI. *artic.* XXXIV.

seu vi illatâ, seu contusione, seu fricatione, seu compressione; sanguis impeditus, quò minùs ex testiculis, per *venas spermàticas*, in *venam cavam magnam inferiorem* redeat; et inflammatio atque tumor alterutriusque testiculi ex *blennorrhagia* intempestivè et temerè suppressa.

XXIX. *Genus secundum.*—Hujus generis sunt bibula *tunicæ vaginalis* vasa aut causis debilitantibus adeò torpida, aut duritiâ *lymphaticorum* adeò impervia facta, ut humorem interfusum pari ratione, qua exhalatur, resorbere nequeant.

## CURATIO.

XXX. MULTAS, enimvero, hydrocelen curandi rationes chirurgia proposuit. Eas verò omnes singulatim describere, in hujusmodi disputatione non licet.

XXXI. Cùm ita sit, complures ex iis silentio præteribimus; eas autem maximè, in quas processerunt chirurgi, aut ex prava causarum opinione, aut ex natura morbidarum partium malè intellecta.

XXXII. Nobis igitur consilium est, duntaxat eas medendi rationes explicare, quæ optimæ habentur, quibus morbus persanetur. Hæ autem omninò quinque sunt.

XXXIII. Tot rationes hydrocelen curandi etiamnum invalere, neque tamen inter medicos

chirurgosve convenire, quæ omnium optima sit, mirum videtur.

XXXIV. Quare autem ita sit, rationem aliquatenùs reddere possumus. Juniores enim chirurgorum in eam plerumque curandi viam procedunt, cui primas concedunt doctores, à quibus artem chirurgicam didicerunt, aut auctores, quorum libros sæpe pervolutant; neque postea propriâ experientiâ discunt, idonea, necne, sit, quam perseveranter persequantur.

XXXV. Res verò poscere videtur, ut paucis antè dicamus, qua optimè ratione levetur hydrocele, quàm aggredimur exponere, qua ratione persanetur; cùm præsertim fieri haud rarò possit, ut seu quadam proprietate corporis, seu timore doloris quem persanatio moveat, necessarium sit experiri, mitigari, necne, possit hic morbus.

XXXVI. Quemadmodum verò fiat plaga, qua

leniatur hydrocele, describere neutiquam opus est; eòque minùs, quòd, nostris temporibus, nemo chirurgorum est, quin satìs sciat.

XXXVII. Ubi testiculus aquâ in tunica vaginali, mirum in modum, intumuit, optimum est, chirurgum, plagâ factâ et idoneâ fistulâ per hanc demissâ, aquam emittere; deinde expectare, donec aliquantùm denuo intumuerit, priusquam percurare aggrediatur.

XXXVIII. Haud ita pridem, chirurgi deterriti formidandis malis, quæ persæpe ex iis oriuntur, quæ manu faciunt quò hydrocelen persanent, nihil amplius, quàm aquam emittere audebant. Hoc faciendo, morbus nonnunquam prorsùs curatus est. Emissionem verò aquæ adeò rara integritas sequitur, ut non tutum sit, tali curationi fidere.

XXXIX. His dictis, nunc mihi in animo est paucis describere, quibus modis hydrocele per-

sanetur; deinde, quæ cuique modo propria commoda sint, quæ incommoda; tum adjicere, quemadmodum mala, quæ inter persanandum oriuntur, optimè curentur.

XL. Opera, quibus percuretur hydrocele, sunt incisio, exsectio, urigo, *setacei* factio, et humorum in *tunicam vaginalem* testiculi immissio. De his ordine pauca dicenda sunt.

XLI. *Incisio*,—utì vetustissimum operum eſt, quibus percuratur hydrocele, ita, vel nostris temporibus, usitatissimum. Omnium verò periculosissimum est.

XLII. Quemadmodum fiat plaga, fusè describere non opus est. Satìs erit dicere, tumorem, per totam longitudinem, patefaciendum esse; et dandam dein operam, ut *tunica vaginalis albugineæ* ubique applicetur, atque applicata concrescat.

XLIII. Quanquam hoc opus suâpte naturâ satìs simplex est, tamen non possum, quin iis accedam, qui nimìs crudele esse putant. Multi tamen auctores præclari, imprimis BENJAMIN BELLIUS, chirurgus EDINBURGENSIS, faciendum curant.

XLIV. Quare cæteris anteferat hic auctor multi nominis, paucis memorare liceat. Inductus est, ut ei primas concederet, quia, incisione factâ, potest explorari, induruerit, necne, testiculus: quia hydatides stirpitùs exsecari possunt: quia, id sanè, quod maximi momenti est, potest, devoluta, necne, in scrotum intestina sint, explorari: quia hoc opus rarissimè subsequuntur ea mala, quæ aliis quibusdam operibus superveniunt; tensio nempe, dolor abdominis, magna vis febris, inflammatio haud raròo in abscessus transiens: denique, quia tali curatione cavetur, ne idem denuò morbus redeat.

XLV. Primæ rationi, qua adductus est, obji-

ciatur, haud necessarium esse introspicere tumorem, quò cognoscatur, an induruerit testiculus, devolutave sint intestina; cùm præsertim chirurgorum plerique sciant, acciderintne hæc mala, extrinsecùs testiculum contrectando, post aquam eductam.

XLVI. Quinetiam, tametsi testiculus aliquantùm induruerit, tamen, modò nulla alia scirrhi signa sint, neque, ante hydrocelen, esset, unde induruisse chirurgus suspicaretur, non licet eum ferro exsecare.

XLVII. Quum ita sit, aquam ex *tunica vaginali* sic emittendo, aëri testiculum fabricâ delicatissimum exponere, utì haud necessarium est, ita minimè tutum.

XLVIII. Censet POTTIUS, aquam, in *tunica* testiculi *vaginali* contentam, neque dolore testiculum ipsum afficere, neque reddere semen secernendi impotentem; ideoque haudquaquam

necessarium esse, excidere, aut alioquìn, sanandi causâ, ferro violare *.

XLIX. Quin autem incisio *tunicæ vaginalis* præbeat occasionem hydatides, si quæ insunt, exsecandi, negari non potest. Hoc verò consilio, incidere rarissimè opus est, quoniam, in hoc morbo, hydatides vix unquam existunt. Ab Earlio enim accipimus, triginta annos, quibus chirurgiam fecerat, ne quidem semel hydatides in *tunica vaginali* vidisse. Enimvero, etiamsi existant, nihil tamen mali oriri potest ex perpuncta priùs *tunica vaginali*, quò aqua effluat; cùm præsertim postea, simul ut detectæ, incisione factâ, extirpari possint.

L. Incisio, porrò, *tunicæ vaginalis*, præterquam quòd crudelis est, et gravem movet dolorem, haud raró, utì compluries observavi, magnam vim inflammationis et suppurationis ciet, ob

---

* Vid. Pott. *De Hydrocele* pag. 254. ſubnotat.

quam necesse est, ut æger domi se diu contineat.

LI. Incisioni, denique, *tunicæ vaginalis* objiciatur, testiculum haud rarò, per plagam, sese extrudere; quod sanè, quoties accidit, longam chirurgo solicitudinem affert, longam ægro molestiam gravemque dolorem.

LII. *Excisio.*—Hoc minimè novitium opus est; namque jam dicto prælatum, in melius mutavit DOUGLASSIUS.

LIII. Sufficiat observare, excisionem multo operosiorem esse incisione; cùm tempus haud exiguum necessarium sit, ad saccum excidendum, quo aqua continetur.

LIV. Huic verò operi, utì mala, ita commoda quoque, propria sunt. Mala enim, quæ superveniunt, leviora sunt; et nunquam postea redit morbus.

LV. Verùm, etiamsi ita sit, tamen tanta est ipsius operis crudelitas, ut ab eo perficiendo misericordem chirurgum deterreat, nisi tunicæ testiculi usque eò morbidæ sint, ut prorsùs necesse sit eas exsecare.

LVI. *Urigo.*—Hydrocelen, cauterio scrotum et *tunicam vaginalem* urendo, curandam proponit Elsius; utpote cui hæc curandi ratio jam dictis anteponenda videatur.

LVII. Hunc in finem, causticum medicamentum, quod lineâ mediâ sexies octavam pollicis transversi partem æquat, anteriori et inferiori scroti parti imponendum est. Paucis horis, cauterium ulcus seipso duplo amplius efficit; et, paucis pòst diebus, superficiem *tunicæ vaginalis* patefacit inflammatam et crustosam.

LVIII. Puncturâ dein factâ, aqua emittenda est. Tumore, dum effluit aqua, subitò subsidente obstatur, ne irruat aër; atque, aquâ e-

missâ, crustosa membrana vulnusculum obturat. Paucis hebdomadis, *tunica vaginalis* à testiculo frustillatim sese separat; neque multò pòst, ulcus sanescit, atque percuratur morbus, nunquam rediturus.

LIX. Quoniam hac curatione aër prorsùs excluditur, rarissimè magna vis inflammationis est. Ulcus autem, quod suppurationi supervenit, quippe cùm tardè cicatricem accipiat, gravi dolore et molestiâ miserum afficit.

LX. *Setacea.*—Hydrocelen acu filum ducente curare, chirurgi olim solebant. Verùm, haud longo pòst tempore, quàm hæc inventa curatio est, desuevit; neque antè revocata est, quàm Pottius, cæteris curationibus rejectis, hanc, utpote quæ sibi facilior videretur, experiri secum statuit.

LXI. Quemadmodum curationem perficeret Pottius, fusè explicavit in libro, ubi ipsam rem

prosequitur, ad quem lectorem relego; cùm non mihi consilium sit, describendo tempus terere *.

LXII. Hæc curatio naturâ simplex est et facilis, neque gravi dolore ægrum affligit. Inflammatio, quæ supervenit, rarò vehementior eâ est, quam movet *hernia humoralis;* neque, profectò, semper requirit, ut æger lecto, ampliùs duos tresve dies primos, se contineat. Duabus plerumque hebdomadis, testiculus prorsùs revalet.

LXIII. Filo autem xylino, quod in plaga facta inhærere solebat, sericum substituit. Hanc postea curationem commodiorem reddidit POTTIUS; et, haud pridem, adhuc commodiorem REA, præclarùs EDINBURGI chirurgus.

LXIV. Quare in desuetudinem abiverit hæc curatio, mihi nondum innotuit. Sed, cùm laudata sit à duobus chirurgis tanti nominis, POTTIO,

* Vid. POTT. *De Hydrocele*, pag. 177.

nempe, et Earlio, qui sanè judicandi de ejus meritis scientes erant, idonea nobis videtur, quam chirurgi curiosiùs experiantur.

lxv. *Injectio.*—Mos humores irritantes stimulantesve injiciendi in *tunicam vaginalem*, quò persanetur hydrocele, multo nuperiùs invaluit, quàm cæteræ curationes, quas proposuimus.

lxvi. Humores, quos primi chirurgi, qui in hanc curandi rationem processerunt, injicere solebant, erant aqua, in qua solutus *murias hydrargyri corrosivus* sit, aliique acres. Chirurgus militaris, Monro cognominatus, primus traditur, qui *alcohol* in *tunicam vaginalem* testiculi ausus est immittere.

lxvii. Gravia verò mala, quæ attulerunt tales humores, hanc curationem vituperandam fecerunt; neque, profectò, reducta est, dum Earlius denuò experiri ausus sit. Compertus est hic chirurgus peritus, ipsam curationem commodam

et efficacem esse ; sed neglectam fuisse, ob mala, quæ acribus humoribus immissis orta sunt.

LXVIII. Humor, quem indere solebat EARLIUS, erat vinum, aquâ plùs minùs dilutum. Multis periculis compertus est, hanc curationem cæteris omnibus anteferendam esse. Nobismetipsis, hydrocelen hac curatione persanari, observandi occasio sæpe oblata est. Neque, quantùm scimus, unquam redivit morbus.

LXIX. *Regimen.*—In quamcunque curandi rationem procedimus, æquè necessarium est, ægrum abstinere à carnibus, potu meraciore, calore, et, ne plura, omnibus, quæ, motus cordis et arteriarum concitando, febrem moveant.

LXX. Eodem tempore, æger debet, quàm maximè potest, recumbere. Testiculus quoque suspendendus est idoneis fasciis. Omnes motus, nisi qui prorsùs necessarii sunt, quàm maximè vitandi.

LXXI. Si febris vehemens est, et inflammatio urget, opus erit sanguinem mittere eâ copiâ, quam vis morbi requirat, et ægri vires pati posse videantur. Eundem in finem, alvus, quoties opus, lenioribus catharticis emollienda, aut lotionibus subducenda.

LXXII. Si in parte, quæ plagam aut ustionem passa est, magna vis inflammationis urget, ei utilissimum erit admovere aut emollientia cataplasmata, aut fomenta, quò inflammatio reprimatur et conquiescat.

FINIS.




GLASGUÆ:
EXCUDEBAT JACOBUS MUNDELL,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

